

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1864

**Auteur(s) :** Robert II, Artois (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Conches-en-Ouche, Saint-Pierre de Castillon ou Châtillon (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1270, 7 mars

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert (II), comte d'Artois, notifie et confirme les donations faites à l'abbaye Saint-Pierre de Châtillon.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Ebroicensis, n° XXIV, col. 150-152.

Texte établi d'après a

Robertus Atrebatensis comes, dominus Concharum et Danni-frontis, et Amicia de Curtiniaco uxor nostra, omnibus præsentibus literas inspecturis, salutem. Noveritis nos literas nobilium virorum Roberti et Petri de Curtiniaco non cancellatas, non abollitas, nec in aliqua sui parte vitiatas vidisse in hæc verba: Omnibus præsentem chartam inspecturis, Robertus de Curtiniaco miles, Franciæ buticularius, dominus Concharum, salutem in Domino. Sciant præsentibus pariter et futuri, quod nos assensu et voluntate Mathildis uxoris meæ et Petri filii mei de Curtiniaco primogeniti, dedimus et concessimus, et præsentibus charta confirmavimus abbatie S. Petri de Castell. et monachis ibidem Deo servientibus, in puram et perpetuam eleemosynam, omnem libertatem et omnes consuetudines, omnes decimas et omnes redditus, et proventus quos eis dederunt et concesserunt fundatores et donatores sui in omni terra et in dominatione Concharum, sicut melius usi sunt in tempore nostro, et sicut in chartis prædictorum fundatorum et donatorum suorum plenius continetur. Specialiter autem dedimus eis et concessimus, assensu et voluntate prædictorum Mathildis uxoris meæ, et Petri de Curtiniaco filii mei primogeniti, decimas omnium proventuum totius forestæ de Conchis ex integro, et insuper decimas omnium terrarum quæ in eadem foresta de novo cultæ sunt, et earum quæ in posterum ad culturam redigentur. Si vero in dicta foresta ecclesiæ fuerint ædificatæ, volumus et concedimus ut abbas S. Petri de Castell. in dictis ecclesiis jus habeat patronatus. Parochianos autem qui sunt et qui erunt in dicta foresta, quibus voluerint ecclesiis assignare, assignent. Hæc omnia teneant et possideant in pura et perpetua eleemosyna integre, sine aliqua diminutione, libere, quiete et pacifice, et sine contradictione nostri vel heredum nostrorum, et nos eis prædicta garantizabimus. In cuius rei testimonium præsentibus chartæ sigillum nostrum apposuimus. Actum anno gratiæ millesimo CC trigesimo quarto. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen. Omnibus præsentibus literas inspecturis, Petrus de Curtiniaco miles, dominus Concharum, salutem in Domino. Noverit universitas vestra me pro salute animæ meæ et antecessorum meorum concessisse et præsentibus charta confirmasse abbatie S. Petri de Castell. et monachis ibidem Deo servientibus, in liberam, et puram, et perpetuam eleemosynam, libertates omnes et consuetudines universas, cum decimis, redditibus et proventibus, et omnibus rebus aliis quas eis dederunt et concesserunt fundatores et patroni ejusdem ecclesiæ per totam terram, et

forestam, et dominationem Concharum, sicut . . . . melius, plenius liberiusque usi sunt in tempore carissimi patris mei bonæ memoriæ Roberti de Curtiniaco, et quod possint et debeant uti, sicut in chartis dictorum fundatorum et patronorum continetur. Specialiter eisdem concedo et confirmo omnes decimas omnium proventuum totius forestæ de Conchis ex integro, cum decimis omnium terrarum quæ in eadem foresta in præsentī cultæ sunt, et earum quæ in posterum redigentur, cum jure patronatus ecclesiarum quæ in dicta foresta sunt et erunt ædificatæ, et liceat eis parochianos in eadem foresta degentes quibus ecclesiis de eadem foresta voluerint assignare, et culturam totam et integram quæ sita est inter abbatiam et villam Castellionis ex una parte, et parcum de Conchis ex altera, et totam vineam quæ sita est inter vivarium de stagno et clausum dictorum abbatis et conventus juxta vivarium de Fontana, cum totis nois sitis inter calceiam molendinorum de Fontenna et vineam monachorum supradictam, sicut se comportant in longitudine et latitudine, a calceia molendini de Fontana usque ad calceiam molendini de stagno, quæ per diligentem inquisitionem virorum fide dignorum invenit pater meus ad eosdem tanquam eorum propria eleemosyna pertinere, et quod possint in dicta cultura villam facere et ædificare cum eisdem libertatibus et consuetudinibus in omnibus per quas tenent villam Castellionis, cum viginti acris terræ sitis in foresta de Conchis juxta hermitagium quod vocatur Altare, quas abbatia de Strata in liberam eleemosynam dederat pater meus, sicut in chartis ejus inde confectis plenius continetur. Et hanc confirmationem et concessionem eis feci cum super aliquibus de prædictis quæ in manu mea sequestraveram, inter nos esset contentio, credens me in prædictis habere jus, quousque de jure eorum esset mihi facta fides plenior. Et omnia supra dicta post fidem talem mihi factam, sicut eorum jus et propriam eleemosynam eis reddidi et restitui. Et hæc omnia prædicta eis ego et heredes mei debemus garantizare contra omnes homines et feminas. In cujus rei testimonium præsentī chartæ sigillum meum duxi apponendum. Actum anno Domini M. CCXL, mense Septembris. Nos vero prædicti Robertus et Amicia uxor nostra, prædictas chartas approbantes, omnes consuetudines, libertates et donationes, et ea de quibus mentio habetur in eisdem, necnon et omnia quæ ante tempora nostra tenuerunt et possederunt, præfatis abbati et conventui damus, concedimus, et in puram, liberam et propriam eleemosynam confirmamus. In cujus rei perpetuam memoriam præsentibus literis sigilla nostra duximus apponenda. Actum et datum Parisius, die Veneris post Brandones, anno Domini M. CCLXIX.